CHRISTIANVS FRIDERICI PRIMI CANCELLARIVS.

CHriſtianus in humaniorib. literis fuit doctiſsimus. Itaq; Fridericus Barbaroſſa potentiſsimus Imperator eundem ſibi ab epiſtolis eſſe iuſsit, atq; cancellarium elegit. Hinc factum ut ipſe mira prudētia & eruditione uarias legationes ſuſceptas magno Imperij commodo dextrè obierit. Tanta etiam eloquentia pollebat, ut Itali ipſum perorantem admirarint. Erat tum Leo Tuſcus Emanuelis Imperatoris Græcorum ſcriba, qui ipſum audiens immenſis laudibus extulit. Præter aulica autem officia etiam ſtudia liberalia amplectebatur. unde aliquot orationes & epiſtolas edidit, atq; Friderici 1. uitam & res præclarè geſtas conſcripſit. ex quibus omnibus magnam gloriam uiuens & moriens adeptus eſt, anno 1160. Trit. in ſcript. Eccleſ.